DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

VESTITU LANEO

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
VESTITU LANEO
COMPLECTENS;
QUAM,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUGUSTUS EDVARDUS DALZELL,
EX INSULA BERMUDÆ.

Sic vos non vobis vellera fertis oves.
VIRGIL.

Summa medicina est non uti medicamentis.
CELSUS.

Ad diem 24tum Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.
1812.

JOANNI DALZELL,

ARMIGERO,

DE INSULA SANCTI VINCENTI,

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

AUGUSTUS E. DALZELL,

S. P. D.

Te, optime amice, digniorem, cui hoc opusculum studiorum primitias dedicem, neminem agnosco. Attentio fraternâ penè major, quâ omnibus meis commodis consuluisti, observantiam meam erga te usquè adeò firmavit, ut nihil eam, nisi mors omnium deletrix, dissolvere possit. Et hanc occasionem, lubenter arripio, publicè testandi, quantum tibi, percare frater, devinctus sum. Accipe, idcirco, in testimonium perexiguum amoris et amicitiæ quibus te prosequor, hasce paginas qualesquales sint.

Bona fata tibi semper adsint, corpore et animo felici, numen oro divinum. Vale.

Die 8. *Kal. Julii, A. M. S.* 1812, *Edinburgi.*

NEC NON

PRÆCEPTORI SUO EXIMIO

ALEXANDRO MONRO, TERTIO, M. D.

REI ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ

PROFESSORI, &C. &C.

VIRTUTIBUS OMNIGENIS SCIENTIISQUE INSIGNI;

HOCCE OPUSCULUM

PROPTER BENIGNITATEM ERGA SE

SUMMA CUM OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

" Messem non facis dum seges adhuc in herba,"

———————— " Neque aurea poma

Primo vere legis."

DISSERTATIO MEDICA

DE

VESTITU LANEO.

PROŒMIUM.

Nemo rei medicæ peritus ignorat, quo secundam corporis valetudinem homo tueatur, potissimum opus esse, ut halitus ille subtilis, quem arteriæ summæ cutis patulæ spirare solent, rite evocetur et eliciatur. Morbos sane vel brevi sermone enunciare, qui hunc repressum consequuntur, longum esset; nec aliquis fontem malorum uberiorem facile reperiat. Divinus ipse artifex homini soli inter animantia vestem denegavit, rationem et ora-

tionem largitus est, et totum terrarum orbem eundem incolere et regere voluit; hoc plane consilio, ut homo seipsum operiat, et corpus cœli rationi accommodet.

Natura autem semper benigna et provida singulis regionibus proprias materias ad vestiendum dedit.

Hinc Britannis oves largita satis manifeste patefacit, panno laneo corpora esse tegenda, quo frigora imbres et pruinas et cœlum illud varium et mutabile impune sustinerent. Hi vero, ut solet genus humanum, sui veri boni nescientes, veste lanea sericæ et gossipinæ posthabitâ, non raro pœnas quæsitissimas temeritatis morbis gravissimis subeundis persolverunt.

Non inutile, igitur, duxi quædam, pro viribus, de vestitu laneo, disputare; nec sane spe impulsus me novi aliquid elicere posse,

sed occasioni obsecutus, quæque de hoc gravi argumento memoratu dignissima scribere mihimet proposui.

Hæc disputatio tres partes complectitur.

In prima, De vestitu laneo in genere pauca proferuntur; et quæritur quo modo corpus humanum afficit.

In secunda, Rei propositæ haud alienum erit, de halitu per cutem excreto, breviter disputare.

In tertia, De quibusdam morbis agitur, originem ex hoc halitu represso ducentibus, ad quos sanandos aut præcavendos vestitus laneus maxime prosit.

PARS PRIMA.

QUÆDAM DE VESTITU LANEO.

Homini soli (ut supra notavi) ex omnibus animantibus, alma natura parens semper provida, vestitum non largita est. Cæterorum animalium progenies in vitam editur, tecta pellibus vel aliis similibus cœlo certo aptis, quod incolere destinatur; usque a partu valens auxilium parentum modicum, nec nisi brevi tempore desiderat; instinctu multiplici prædita, paucis hebdomadis ad summum mensibus non multis, vires maturas et perfectionem a natura tributam attingit, sibi consulit, et officia parentum et amoris in sobolem suam præstare cito valet. Contra genere humano res longe aliter se habet. Infantia sua longa

et tædii plena est. Inops absque ullo vestimento a natura præbito in lucem prodit, curam parentis focillantem et attentionem diligentissimam initio vitæ requirit. Hocque Benevolus naturæ auctor sapienti consilio fecisse videtur, ut homo dominus terrarum, ratione donatus, amictum omnibus mundi regionibus aptum seligeret, et sub omni cœlo non solum vivat, sed bona valetudine fruatur.

Omnibus populis excultis sese vestire mos est, et variis vestimentis, cœlo quod incolunt, maxime accommodatis, usi sunt. Incolæ terrarum septentrionalium, dum sævit hyems, corpora pellibus aliis animalibus direptis, fovent; in regionibus sub cursu propinquioris solis vestitum fabricæ tenuissimæ incolæ seligerunt. In Magna Britannia, cui insulæ intra unius diei spatium, gravior aeris temperiei mutatio et varietas, quam terris sole torrido exustis per integrum anni decursum, contin-

git, prava consuetudo, diu invaluit, corpus operiendi vestitu tenuissimo ab Indiis aut Italia advecto cœlo Britannico mutabili alienissimo. Fæminæ nostrates omnium formosissimæ, araneis vestitæ, cubiculis igne calefactis in jovem frigidum exeunt, vel saltando tota nocte deditæ, spiramentis hiantibus, aera algidum et humidum subito petunt. Vasa cutanea coarctantur, halitus, quem spirare debent, reprimitur; humores versus partes internas repelluntur, et ita fons morborum fæcundus nascitur. Genus humanum revera constitutione omnibus extremis accommodata gaudet, si ea gradatim acciperet, sed mutationes tantas et tam subitas, sustinere non potest. In hoc cœlo si ulla vestitûs mutatione opus sit, ea tantum esse debet, quæ ad extimam togam pertinet, et indusium laneum juxta cutem semper habere convenit. Auctores plurimi affirmarunt, vestes hyemi idoneas seriùs assumptas, et justo maturiùs exutas morborum multorum causam esse. Audi

Sanctorium, "qui in fine veris præmature se "vestibus spoliant, et autumno tarde indu-"unt, in febres æstate, et in distillationes, "hyeme facile incidunt.*" Sydenhamus ab eadem origine multa mala deduxit. Rushius de febre disserens, quæ in valetudinariis Americanis militaribus multum grassabatur hanc orationem habet, "among other causes, "the general use of linen instead of woollen "clothing in the summer months, helped to "produce and increase this fever."

Quando pannus laneus corpori admoveatur, cutem leniter stimulat et fovet, calorem superficiei æquat, actionem vasorum in partibus extremis promovet, vires musculorum adauget, genus nervosum incitat et alit. Motu corporis fricatio quædam excitatur, qua cutis halitum aliosque humores excernendos eliciendo, insigniter prodest. Itaque vestitus laneus maximum studium meretur, et reme-

* Medicina Statica Aphor. L. sect. 11.

dium momenti non parvi in multis morbis evadit.*

Ab experimentis clare demonstratur, lanam majore vi humiditatis absorbendæ, quam linteum, præditam esse. Hinc constat, pannum e lana ubique terrarum sed præcipue in regi-

---

* Clothing is certainly an object of the greatest influence upon health, and most worthy of attention. It is, in my opinion, in the northern climates, the very first necessary of life. Existence may be protracted more than eight days without food; but a few hours exposure to cold, unclothed, will, in our winters, cause inevitable death. Nature, in having withheld from man those preservations against the inclemency of seasons, which she has granted to all other animals, has endowed him with reason, in a great measure, to supply this first of all wants. Nevertheless, in this respect, strange prejudices still prevail. One of them is, not to be warmly clothed, by reason that slight clothing, and frequent exposure to cold, tends to harden the body, and render it less tender and susceptible of the sudden impressions and variations

omnibus calidis, ubi exhalatio per cutem abundantior esse solet, potius quam e linteo confectum, esse induendum, uti vestem intimam.

Vestitu linteo sudor condensatur, corrumpitur et putrescit, poruli cuticulæ materiâ noxia replentur et impediuntur. Sed vestitus laneus sudorem cito resorbet, vasa cutis exonerat, totum corpus recreat et roborat, et,

---

of the elements. I have no doubt but this will be the effect in a certain degree. I also believe that too warm clothing may somewhat weaken the constitution; but in cases of excess, on either side, the bad consequences of the first (too thin clothing) are infinitely more hurtful and fatal than of the other: and I am convinced that many thousands, every year, fall victims to this prejudice, which seems to be confirmed by the lists of mortality in northern countries, stating, that three out of four deaths are the consequences of rheumatisms and cold.—*Sir John Sinclair's Code of Health and Longevity*, Vol. ii. App. p. 17.

ut mihi videtur, usu ejus nunc parciore nunc pleniore prout vicissitudines cœli postularent, omnia fere commoda, quæ cœli mutatio præbet, obtineri possunt.

Indusium laneum mirum in modum ventriculum afficit, ob consensum quo hoc viscus cum cute sociatur.

Darwin notavit, vestem intimam e panno laneo fabricatam, si insolitus eâ se operiat, fricando, cutem irritare et stimulare, eòque interdum, ut vomitus quiescat, efficere.*

Sydenhamus porro enarravit, quendam, qui vomitu constanti vexatus fuerat et varia medicamenta rejecerat, simul atque sola stragulorum mole paululum maduisset, largiorem bolum devorâsse et retinuisse.†

---

* Darwin's Zoonomia, Class iv. 1. 1. 4.

† Vid. Sydenham, Sect. ii. cap. 2.

Quoniam frigus ultra certos fines corpus nunquam non debilitat et multis morbis opportunum reddit, summa curâ fugiendum est, cui usui vestis lanea optime inservit.

Inter convalescendum, cum levissimo frigore admoto multi morbi sæpe renascuntur maximam utilitatem pannus laneus adfert.

Sine idonea exercitatione, multo minus caloris istius stimuli corpori adeo necessarii gignitur. Ergo nunquam decumbendum vel dormiendum est, nisi corpore pluribus vestibus aut stragulis obtecto, quam si quis vigilet et solitis vitæ muneribus fungatur.

Quod ad infantium vestitum pertinet, pauca postulant; vestimenta e lanula confecta esse, convenit, et satis plena ad corpora eorum tenera a frigore tuenda.* Vestimenta

---

* The celebrated John Hunter gave the following re-

lanea præsertim si infantes gerent, sæpe mutari ac lavari debent.

Plurimi ex morbis dirissimis, qui in castris et classe grassantur, ortum a frigore vaporibusque humidis ducunt. Ideoque indusia lanea, ad sanitatem militum et nautarum * tuendam, admodum valet. Nostræ legiones nunc quam olim meliore valetudine utuntur; quod maxime tribuendum est, usui vestitûs frigori arcendo aptioris, qualia indusia, sublicagula, et tibialia lanea sunt. Eodemque

---

ceipt for rearing strong and healthy children. "Give "children from their birth, plenty of milk, plenty of "sleep, and plenty of *flannel.*"

* That cold has an effect in favouring the production of scurvy is manifest from hence, that the disease is more frequent and more considerable in cold than in warm climates and seasons, and that even *warm clothing* has a considerable effect in preventing it.—*Cullen's First Lines,* par. 1797.

pertinent calcei quibus soleæ densiores sint, ad pedes a frigore et humiditate defendendos.

Quantum operæ ad sanitatem conservandam vestitus hujusmodi confert, *Rushius* his verbis testatur.----" Those officers who wore " flannel shirts or waistcoats next to their " skins, in general escaped fevers and dis- " eases of all kinds."

Quicunque e calidis in frigidas regiones demigrant, sese lanulâ vestire oportet; ex effectibus talis cœli mutationis nocentibus, salvos et liberos servat; et impetum humorum solitum ad superficiem conservando, alvi fluxum molestum, qui ad cœlum frigidum iter facturos, sæpe vexat, præcavet.

Denique verisimillimum est, vitam ultra limites consuetos protrahi posse, ope lanei vestimenti.

Annis ingravescentibus, totum corpus varias patitur mutationes, quæ omnes vires labefaciunt, partes corporis solidæ indurescunt, et sanguinis circuitus languide perficitur; hinc perspiratio imminuitur et cutis rugatur, indurescit et siccatur. Hæc omnia ab motu humorum lento et debili per vasa minutissima (è quibus plurima jam coarctantur et occluduntur) plane oriuntur. Sed aer frigidus et humidus eosdem effectus infert, et si natura hos faciat, adauget et intendit. Senibus igitur vestitus qualis tepefaciat et foveat, maximum levamen adfert; quoniam (ut supra notavimus) eodem modo, quo calor extrinsecus in corpus agit, incitando scilicet arterias extremas et perspirationem eliciendo. Hoc modo vires musculorum renovat, generi nervoso quam maxime favet et omnes functiones, tam animi quam corporis, reficit.

His absolutis, sequitur ut ad caput secundum transeamus.

PARS SECUNDA.

DE PERSPIRATIONE INSENSILI.

A SPIRACULIS fere innumeris ad corporis humani superficiem hiantibus, vapor tenuissimus exhalatur, Insensilis Perspiratio dictus, qui majore quantitate elicitus, et sæpe etiam in guttulas collectus, Sudor nominatur. Sudor atque halitus cutis per eadem vasa excernuntur et inter sese conveniunt, hoc tantum notato discrimine, quod sudor, liquore glandularum sebacearum et oleosâ materiâ cuti subjectâ, aliquanto largiùs miscetur.*

* Vid. Haller's Prim. Lin. p. 227.

Totum corpus perspirare haud latuit veteres. Hippocrates et Galenus probe jam noverunt.

Rem ita se habere multis modis demonstratur. Ab experimentis constat corpus, sine ulla excretione evidente, levius fieri, quod tantum exhalatione per cutem evenire potest. Si speculum nudæ cuti imponatur vapore humido cito obducitur. Denique ubi aer crassus vel frigidus est, halitus similis nebulæ ex omni parte corporis abire videtur.

Clarus Sanctorius, anno circiter 1612, ad hanc rem indagandam experimenta instituit. Hic auctor primus quantitatem, intra unius diei spatium, materiæ perspiratæ, sano homine evolutam, inquisivit. Sed experimenta recentiora non desunt quæ probant, aliquid ex aere eodem tempore hauriri; hoc revera multum observationibus Sanctorii detraxit. Verum enimvero, laus ei debetur, causas bene

investigandi, quibus halitum per cutem augeatur, imminuatur, aut impediatur, æque ac effectus sive faustos sive infaustos, quos hæ mutationes inducunt.

Hæc excretio semper copiosa est, sed multum ex cœli temperie pendet; in regionibus solis ardoribus maxime objectis, perspiratio abundantior est atque uberior quam in orbis terrarum regionibus septentrionalibus, quod experimenta a Sanctorio in Italia, De Gortero in Batavia, et Keileo in Britannia, instituta, abunde docent.

Impetus et velocitas sanguinis perspirationem mirum in modum afficiunt. Et exhalatio per cutem aliquando augetur, aliquando impeditur prout incitatiùs vel temperatiùs sanguis moveatur; circuitus suus citiùs in infantibus quam in adultis hominibus perficitur; quo fit, ut illis perspiratio et omnes humores abundantiores esse solent.

Hæc exinanitio saluberrima est, dum recte fluit vires et agilitatem adauget, et denotat corpus bonâ valetudine frui. Exhalatione imminutâ vel prorsus retentâ totum corpus solito plenius fit, hebescit languescitque. Circa ventriculi regionem sensus gravitatis percipitur, cibi prave et tarde concoquuntur, propter consensum mirum inter cutem et ventriculum. "Subito autem suppressus su-
" dor magis et citius nocet, non modo prop-
" ter retentam materiam, quam oportebit
" exhalare, sed propter humores ad super-
" ficiem corporis libere fluentes, inde pulsos
" et in alias partes directos, validâ constric-
" tione vel spasmo vasorum cutis inducto.
" Hinc sæpe febres, inflammationes, conges-
" tiones sanguinis abnormes, hæmorrhagiæ,
" aliæ excretiones urinæ et alvi imprimis
" auctæ et vitiatæ." *

---

* Gregory's Conspectus, par. 672.

A tali defectu quoque animus tristis fit et demittitur; contra liberâ perspiratione lætitia animi multum promovetur. "Hilaritas," inquit SANCTORIUS, "dum libera per corporis "superficiem perspiratio sit, in mente nascitur, sed contra gravitatis in corpore sensus "et in animo mæstitia, perspiratione impeditâ, percipitur."

Denique omnia mala quæ halitus cutis suppressus arcessit, uti conjicio ad tria capita referri possunt.

Primum, Inflammationes viscerum;

Secundum, Profusionem auctam humoris in membranas serosas;

Tertium, Similem profusionem in membranas mucosas, aut vitia cutis ipsius, complectitur.

Primi generis sunt plerique morbi ordini *Phlegmasiæ* subjecti. Secundi sunt *Hydropes*. Tertii sunt *Profluvia*, quædam ex *Hæmorrhagiis*, quidam ex *Spasmis*, et *Exanthemata* aliqua.

Recensui cutis vitia una cum auctis profusionibus in membranas mucosas, eo quod cuticula intus conversa has efficere videtur.

Hanc questionem ulterius prosequi propositum neque postulat neque permittit. Ex supra dictis satis apparebit quanti momenti hæc excretio sit, in corpore humano.

Nunc quidam morbi tractandi sunt, ortum ab eâ suppressâ ducentes, ad quos præcavendos aut sanandos vestitus laneus commodum afferre posse videatur.

PARS TERTIA.

DE QUIBUSDAM MORBIS, &c.

In hâc tertiâ parte absolvendâ, profecto angusti limites quibus contineor, vetant amplius investigare causas et indicia morborum, qui in hoc tentamine disputantur quam quod ad rem nostram illustrandam sit necessarium.

Febres et intermittentes et continuæ pro causâ excitante frigus corpori adhibitum agnoscunt; et ne toties accidant, fortasse propriis vestimentis provisum sit.

Leves inflammationes faucium quæ hyeme creberrime occurrunt, materiâ laneâ collo ad-

motâ, plerumque subito sublevantur, nec raro penitus præcaventur.

Rheumatismus regionibus calidis rarissime contingit, ut Cleghorn et Hillary medici sagaces testantur; sed sub jove frigido et mutabili, præcipue vere et autumno, quibus temporibus frigoris et caloris vicissitudines subitæ sint et frequentes, potissimum grassatur. Frigus humiditate conjunctum vel diutius applicatum, ut in vestimentis madidis, &c. præcipue si corpus præter consuetudinem caleat, rheumatismi causam esse, omnibus notissimum est.

Ad levandum vel etiam sanandum morbum, causas excitantes, imprimis frigus, quam maxime evitare oportebit. Hoc consilio indusium laneum summæ cuti appositum et exercitatio corporis lenis sub cœlo sereno et æquali, multum valent.

Facile erit ex effectibus quorundam medicamentorum, quæ ad hunc morbum sanandum haud parum conferunt, monstrare, ea vix aliter agere posse, quam perspirationem liberam eliciendo, et sanguinis ad corporis superficiem impetum promovendo; hujusmodi sunt balneum tepidum, ipecacuana opio juncta, et præparata ex antimonio. Vestitu laneo, sudor lenis continuo evocatur, quo nihil melius in hoc morbo agere possit. Quo omnes rheumatismo subjectos sese vestire suaderem.

De causa proxima *arthritidis* nihil clare deducere possum. Ad hunc morbum proclivitatem hæreditariam quibusdam subesse, satis in aprico est; sed natura hujus seminii, quod liberi a parentibus sæpe accepiunt, adhuc latet diuque fortasse latebit.

Causæ prædisponentes sunt ætas provectior, vitæ genus desidiosum et luxuriosum,

cibus lautus et conditus, ingurgitatio nimia vini aliorumque liquorum meraciorum, et omnia quæ corpus implent. Causæ excitantes (corpore jamjam opportuno facto) sunt vehementes animi affectus, studia literarum nimis protracta, voluptatum veneris almæ excessus. Varia signa dyspepsiæ, scilicet fastidium, ructus et acor et dolor ventriculi accessionem podagræ fere semper prænunciant. Subita corporis refrigeratio et etiam frigus extremis inferioribus applicatum, sævissimos dolores podagricos haud raro inferunt.

Proculdubio perspiratio repressa arthriticis nocet. Antea diximus homines ætate provectiores hoc morbo maxime laborare, qui debitam exercitationem plerumque omittunt; hinc perspiratio multum minuitur. Primus impetus vere et autumno, vel si verbis SYDENHAMI uti licet, " Januario exeunte aut " incipiente Februario," plerumque accedit. Et tempus æstivum ægro solatium præbet et

eum a morbo aliquando liberat. Ex supra memoratis verisimillimum est, liberam humorum distributionem per omnes ejus rivulos, arthriticos admodum juvare; et contra, impeditam, nunquam non iisdem nocere.

Quâ ratione auctores nonnulli hortantur, ut migrent ad regiones calidas. GREGORIUS clarus, verba sequentia habet, "cœli igitur "mutationem arthriticis suaderem, ob has "præcipue causas, ut omnia nocentia quæ "ab hyeme nostra proveniunt, evitentur, ut "beneficia qualiacunque sint quæ tempus "æstivum suggerit, continuentur, et ut per-"spiratio et debita fluidorum ad corporis "superficiem determinatio promoveantur, vel "si repressæ fuerint, ut restituantur." * Ad idem consilium promovendum omnes podagrâ vexatos moneo, ut vestimentis laneis

* Gregory's Diss. Inaug. anno 1774.

utantur. Medici quidam observaverunt omnia stimulantia partibus dolentibus imposita periculosa esse, quia nonnunquam faciunt, ut morbus intus conversus quandam partem vitalem corripiat. Cullenus celeberrimus, paroxysmo urgente, commodissimum esse statuit, patientiæ et panno laneo solum confidere.

Ex morbis qui apud insulas Britannicas pollent, nullus fortasse perinde exitialis est aut sanatu difficilis ac *Phthisis Pulmonalis.* Quoniam medicamenta validissima, morbo confirmato, hactenus frustra adhibita sunt; non puto indusium laneum remedium revera simplicissimum, multum prodesse posse; sed ad præcavendum optimos præstare effectus nullus dubito.

Vestes tenues perparcæ, quas nostrates fæminæ concinnæ induere solent, inter causas hujus morbi non immerito habitæ sunt. Et

manifestum mihi videtur, eos, qui ad tabem pulmonalem naturâ perpensi existunt, ab dira ejus accessione immunes degere vitam posse, si aptis vestimentis corpora sua foverent, nec illis subitis cœli mutationibus se exponant, quæ morbum nunquam non augent et fortasse gignunt.

Inter juvantia, quæ ad hunc morbum tractandum usurpantur, vestitus laneus haud parvi momenti existimatur; distributionem liberam ad superficiem promovet et sanguinem e pulmonibus haurit. "With the view," inquit Dr Thomas, "of guarding against any "diminution of cutaneous perspiration, in "consequence of the application of cold, the "patient should wear a flannel waistcoat "next to his skin, together with sliders of "the same, and stockings of cotton or worsted." *

---

* Thomas's Mod. Pract. of Physic, p. 372.

Haud negandum est, etsi perdifficile sit aptam explicationem rationis agendi reddere, *Hypochondriacum malum* a cœlo mutabili frigido nebuloso sæpe originem ducere; nam in regionibus septentrionalibus frequentissimum, in australibus fere ignotum est, brumali tempore quam æstivo magis vexat.

Aër frigido-humidus vires musculorum debilitat, ventriculum lædit et genus nervosum turbare videtur; unde, lassitudo, functiones ventriculi et intestinorum turbatæ, metus et mæstitia et varia signa, quæ hypochondriasin faciunt, enascuntur.

Talis autem aër evidentius agit, perspirationem reprimendo et idoneam humorum distributionem impediendo. Et fortasse hic morbus impeditæ perspirationi solum tribuatur. Morbo igitur tractando humiditas aëris aptis vestibus et ignibus corrigenda est; et perspiratio omnimodis promovenda, restitu-

enda. Sanctorius in aphorismis suis staticis dixit, hypochondriacos, si frequentibus balneis corpora sua perspirabilia reddantur, et si victo humido utantur, sanos fieri.

Quantum ad *catarrhum* præcavendum et sanandum, vestitus laneus confert, experientia satis omnes edocuit.

Diarrhœa perspirationi impeditæ sæpe succedit. Inter species diarrhœæ unam habet Cullenus " a frigore præcipue pedibus appli- " cato," orientem. Quando morbus ex hac fonte originem ducit, indusio laneo sanandus est. Audi quod eximius Darwin de hoc re dixit, " when a diarrhœa occurs, with pale " skin and cold extremities, the prickling of " the points of a flannel shirt worn next the " skin, occasions universal warmth of it, and " checks or cures the diarrhœa." *

* Vid. Zoon. Class iv. 1. 1. F.

Quomodo frigus morbum arcessit, facile intelligitur, vasa extrema constringit, halitum cutis reprimit et sanguinem versus partes interiores impellit. Hinc constat quo pacto, vestitus tepefaciendo habilis, ad ejus sanationem conducit, humores scilicet hauriendo e visceribus et membranis mucosis et perspirationem revocando.

Non culpâ vacaret *hydropem* et *diabetem* silentio præterire. Quorum ille frequenter halitu per cutem represso enascitur; hic vero frigus aliasque noxas eodem spectantes sequi comperitur; etsi quadam caligine hucusque versantur omnes fere causæ, unde proficisci potest.

Quodcunque humorum cursum et distributionem mutandi aut hinc illuc vertendi capax est, in quibusdam corporibus aquam inter cutem infert. Negato enim humorum excernendorum per summam cutem exitu,

necesse est aliâ quâdam via ejicerentur aut profundantur, et aliis aliâ. At vero ex omni hydropis genere, hac noxâ exoriri solito, longe sæpius inde gignitur anasarca; interdum profecto hydrothorax. Porro conjicio hydropem hinc profectum discriminis gravioris fere esse expertem, ni aliæ metûs causæ accedant; quales sunt corpus aliunde labefactum; nempe annis aut prægressa valetudine adversa.

In hujusmodi casu, oportet quam celerrime efficere ut arteriæ cutis rite excernerent. Hoc medici optime moliuntur, vestitu ex panno laneo præcepto, cæterisque auxiliis, quæ lenem sudorem movere possint; in tepidarium igitur descendendum est; in lectulo sudandum, et e stibio præparata sumenda.

Quod ad diabetem pertinet pauca, quæ dicerem, habeo. Magnam copiam urinæ dilutæ et pallidæ excretam frequenter cutis

halitum undecunque suppressum sequi, res est notissima. Hoc genus valetudinis adversæ apud Cullenum *diabetes insipidus* nominatur; et quidam dubitarunt, recte an secus pro morbo habeatur. Quomodocunque hoc se habet, satis patet, qua ratione frigus urinam moveat; sed parum constat, quare urina non solum hinc superfluat, sed etiam edulcetur, et quasi melle abundet. Hic igitur potius silendum existimo, quam conjectura rem prosequendo, in errorem forsan incidere.

Levamen quod vestimenta lanea, asthmate aut paralysi diu perstante laborantibus præbent, satis notum est. Multi alii sunt morbi quibus commodum afferre potest. In morbo venereo nunquam negligi debet præcipue si æger jam nunc actione argenti vivi infirmatur.

FINIS.